



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Correctio episcopi qui concubinam habuit. cxxv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC.

inuenimus. Sed ne quid videretur omissum nostro potuisse cordi dubium remanere, ad beati Petri sacratissimum corpus distracta eum ex abundantia fecimus sacramenta praebere. Quibus praestitis, magna sumus exultatione gauisit, quod huiuscmodi innocetiam eius evidenter enituit. Pro qua regloria vestra praedictum virum cum omni charitate suscipiat, reuerentiam ei quam sacerdoti decet exhibeat, nec quædam cordibus remaneat, de his quæ iam sunt purgata, dubietas. Et ita suprascriptos episcopo devoutissime operet in omnibus adhaerere, ut congrue decenterque Deum in eius persona videamini, cuius minister est, honorare.

*Correctio episcopi qui concubinam habuit. Cap. CXCV.*

*Ex regi.*

*Gregorii*

*pape ad*

*Andrea*

*episcop.*

*Tarentin.*

*cap. 179*

**T**ribunal iudicis aeterni securus aspicet, quisquis reatus sui conscius digna eum modo pœnitentia placare contendit. Habiisse te siquidem concubinam manifesta veritate comperimus, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiae elegimus commitendum. Quia de re si in sacro ordine constitutus, eius te per mixtione esse recolis maculatum, sacerdotij honore deposto, ad ministrandum nullo modo presumas accedere, sciturus in anima tuæ periculo ministrare, & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si huiusmodi sceleris conscius, in eo quo es ordine cœlans veritatem permanere volueris. Vnde iterum adhortamur, ut si te deceptum hostis antiqui calliditate cognoscis, competenti eum dum licet pœnitentia superare festines: ne cum eo particeps, quod non optamus, in die iudicij deputeris. Si vero huius reatus tibi conscius non es, in eo te necesse est quo es ordine permanere. Præterea quoniam mulierē de matriculis contra ordinem sacerdotii cœdi crudeliter fustibus deputasti, quam licet post octo menses, exinde minimè arbitremur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere nolivisti respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione Missarum statuimus abstinere. In quibus ab officio tuo suspensum, frequente conuenit quod fecisti. Nam valde dignum est, ut postquam te ad vitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilem sacerdotum exempla non prouocant, saltem correctionis medicina compellat.